



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Comitiorum Societatis Custos legitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

nariis docti, piiq; Sacerdotes, ac verbi diuini Prædicatores, & Pastores animarū educerentur. Cen-

*Et alia similia  
in prouinciis.*

fuit autem non Romæ tantum, sed in Germania quoq; contubernia illa excitari oportere: in quibus multi libentius, vtpote non tam procul domo, aliquanto etiam germanico mori congruentius, quam ipsa in Vrbe possent institui. Atque his maximè consiliis effectū est, vt tam luculentum Romæ Collegium Germanorum, tamque multa per septentrionem eiusmodi propugnacula vindex Religionis acerrimus Gregorius Pōtifex collocarit. Habita sunt eodem tempore sublato iam ex humanis Francisco Borgia Societatis Comitiam Romæ ad sufficiendū Præpositum Generalem: suffectusq; est Euerardus Mercurianus.

Quibus Comitiiis tametsi cum suffragij iure Canisius non interfuit, custodiæ tamē præfuit Conclauis, vbi sunt habita: que non nisi spectatæ fidei viris procuratio demandatur. Porro sancta in Vrbe, cum tam multa sint prisce sanctitatis monumenta, tam etiam & multa, & præclara exercendæ priuatim, ac publicè siue religionis, siue misericordiæ instituta, ac domicilia, in his adeundis, cognoscendisque studiosè versabatur Canisius.

*Comitiorum  
societatis custos  
legitur.*

o

Nam

Observat san-  
ctæ vrbis piæ  
opera.

Redit in Ger-  
maniam.

Nam quemadmodum Hæretici, quia vasta in Vrbe, & in omnium gentium quasi colluione necesse est aliquid inesse vitiosum, atque reprehendendum, ad id vnum oculos aduertunt, & inde indignissimè Romanorum mores omnes describunt, & lacerant; ita famulus Dei, quæ recta, quæque laudabilia essent, consecrabatur, tum sui profectus causa, tum vt oculatus testis simpliciorum animos in Germania, calumniis hæreticorū præoccupatos dedoceret. O Enipontum deinde reuersus Euangelici interpretis munus, & Mariani, quod instituerat operis conditionē repetiit, haud sine graui labore distrahens, atq; diuidens curas. Sed quando præsidibus ita placuerat ferebat vtramq; crucem libens, deq; manu Domini accipiebat omnia: illud modo sollicitus, vt perpetuas accessiones perfectæ virtuti adiungeret, indiesq; cumulatius religiosi viri officio responderet.

1574. Ad hunc modum, eodemq; tenore proximi  
1575. anni quartus, quintusque supra septuagesimum  
1576. acti, nec fermè aliter sextus: nisi quod per Augustum, altera, quam supra indicaui, Missione Pontificis, vt Ioanni Morono Apostolico Legato adesset, Ratisbonam concessit. Conuentus habebatur